

cuit . Igitur statim Pontificis , Galliæ , Angliæque Regum , ac
 Francisci Sfortiæ Oratores in curiam vocantur , ut illorum ex-
 quisitis sententiis Senatusconsultum fieret ; cum enim initum
 Coniaci fœdus nondum vulgatum esset , licet jam per cunctam
 Europam illius rumor permanisset ; ambigebatur , num inter
 Principes inita societas apertis verbis , atque haud dissimulan-
 ter Cæsaris Oratori Senatus nomine aperienda esset . Una o-
 mnium fuit sententia : absque hæsitacione incunctanter Santio re-
 spondendum esse , Senatusque consultum fœdere inniti opor-
 tere ; silentio , quod per omnes Europæ tractus fama vulga-
 verat , tegi non posse ; sin secus fiat , conceptæ hominum spei
 de summorum principum societate derogatum iri , atque alien-
 um a publicis rationibus futurum . Itaque Senatui hunc in
 modum Alphonso Santio responderi visum est . *Rempublicam*
nullo unquam tempore de præstanti Imperatoris erga concor-
diam , pacemque studio dubitasse ; idque in primis Sena-
tui esse gratissimum ; digna siquidem optimo Imperatore , at-
que excellenti principe res semper fuit , omni labore , & stu-
dio niti , ut orbis Christiani principes dissidiis divulsi , bellis-
que mutuis exardescerent pacis vinculo connectantur : quod si
nullo unquam tempore , his potissimum turbulentissimis , undique
tempestates , horridasque procellas bellorum minantibus , maxi-
me peroptandum est ; idque summis votis a Senatu exoptari .
Ceterum quod ad postulata Ugonis Moncatæ , Santiique spe-
ctat , nihil respondere posse , nisi fœderatorum principum con-
sensus , cum quibus a Republica societas inita fuit , accesserit .
 In hujusmodi sententiam Cæsaris Oratori decreto Senatus
 responsum , eademque per Oratorem Pontifici significantur :
 additur , caveat Pontifex Maximus , ne summo artificio , mo-
 ra , ac cunctacione unum id Cæsareani intendant , ut obtun-
 dere conatus nostros queant , & interim arcem Mediolanensi ,
 quæ ad summam rerum omnium egestatem redacta est , po-
 tiantur ; vel Galliarum Regem suspicione , ac technis impel-
 lant , ut cum Cæsare in gratiam redeat , atque Proregi Nea-
 politano si novas aliquas concordia rationes excogitaverit ,
 assentiatur : pro certo habere Moncatæ postulatis ita Pontifi-
 cem responsurum , ut ille aperte cognoscat , nihil absque reli-
 quorum sociorum consensu facturum . Quod sane ita evenit ;

Senatus
 responsio .

H. Mauroceni T. I.

M

nam